



...dign...
...ola: rap...
...bonis op...
...me ab oī p...
...ellum s...
...ad eritū aīe m...
...quasi a ex...
...prima refuge...



LIBER

V. 510

admitte quærimoniam meam, et ex tua promissione
verum celestium instrues, os loquens mihi,
contradictore, aut resistere neque
fur in conspectum tuum supple.
dures tuas perueniat. libera
um recepsisti, ab omni periculo,
is, saluum seruas, et incolumem.

III. IIII.

Quæstabunt labia mea
Inscueris me iustificatione
pronunciabit lingua
psuum: quia

animi promissio, vtrōdo
me Domine, et verbi
in explic
abra quæ
abra quæ
non erit certe vllum
is benefi
m, nisi d
osuo. am
VI. VII.
at manus tua vt saluet me: quon
andata tua elegi.

Quare Deus inuocandus. Vt animo, et cogitatione do
firnam celestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs ex
plicare possim, sublatâ voce clamorem ad te edo. Quare tueri me
et defende: vt de tuorum decretorum præscriptionibus viam
et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate &
maui: quia in verba tua superpera
Præuenerunt oculi mei ad re
culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quæ est fides, à circumstantia
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat
præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo ver
hens. Nondum cum vaga celo sidera fulgens aurora fu
stulum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis m
ad curæ me commisso sermone habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
fericordiam tuam Domine: & secun
dum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vllius vi
meriti, quod ab opibus nostræ naturæ proficisci potest.
tum misericordiae, et clem
ta peccata, inquit Ambrosius
implorantis tuam
tam mihi hanc quam
ex hominibus

Handwritten text in a Gothic script, likely a continuation of the Latin text or a commentary. It is partially obscured by tape and damage to the parchment.



DISPUTATIO ORDINARIA

De

IMAGINIBUS.

Complectens *σύνοψιν* Libelli Germanici paulo post subsequenti, quo *vindicie* cujusdam *Theophili Mosani*, quibus *Abrahami Sculteti* iconomachiam Pragensem defendere conatus est, depelluntur.

*In inclyta Academia VVitebergensi
proposita.*

PRESIDE & AUTORE

FRIDERICO BALDUINO D.

Professore, Pastore & Superintendente.

RESPONDENTE

M. PAULO SPERLINGIO

Lauchensi Electorali alumno.

Habebitur adjuvante DOMINI Spiritu
ad diem 13. Aprilis, horis locoq; solitis.

VVITTEBERGÆ,

Typis, Johannis Gormanni, anno 1621.

DISPUTATIO ORDINARIA

IN MATHEMATICIS

COMPOSITA A JOHANNI HUBER

PROFESSORE MATHEMATICIS

IN UNIVERSITATE HALLENSI

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII

KLAVSIO

IN HALLE

APUD JOHANNEM NEUBERGERUM

LIBRARIUM

IN HALLE

APUD JOHANNEM NEUBERGERUM

FREDERICO FERDINANDO

PRINCIPALI

UNIVERSITATIS HALLENSIS

IN HONOREM

RECTORIS

UNIVERSITATIS

HALLENSIS

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII

KLAVSIO

IN HALLE

APUD JOHANNEM NEUBERGERUM

LIBRARIUM

IN HALLE

APUD JOHANNEM NEUBERGERUM

LIBRARIUM

IN HALLE

APUD JOHANNEM NEUBERGERUM

LIBRARIUM

IN HALLE

APUD JOHANNEM NEUBERGERUM

LIBRARIUM

Handwritten text on the left edge of the page, including the name 'Huber' and other illegible characters.





Σὺν Θεῶν.

I.



Emina de Imaginibus est Controversia; Utraque satis antiqua: Una de Imaginibus faciendis; Altera de iisdem colendis. Illa cum ijs, qui Reformatorum titulo; hæc cum alijs, qui Catholicorum nomine superbiunt, nobis intercedit. Illos iconoclastas, hos iconolatras absque convitio, sed jure suo, & ad exemplum veteris Ecclesiæ nominamus.

II.

De Priore jam aliqua proponere fert animus, propter Theophilum quendam Mosanum, qui superiori Autumno prolixo scripto, quod vindiciarum titulo stylo Germanico in lucem edidit, Abrahami Sculteti εἰκονοκλασίας Pragensem defendere conatus est. Cui quidem scripto peculiari libello jam τὰς ἀμοιβὰς perfolvi; hic verò σύνοψιν ejus paucis thesibus includam.

III.

Esse autem Priorem de Imaginibus Controversiam satis antiquam, constat ex sequentibus: De Luca Evangelista scribit Nicephorus lib. 2. hist. Eccles. cap. 43, quod Christi, Beatæ matris, & præcipuorum Apostolorum imagines pinxit, & addit lib. 15. hist. cap. 14. quod Pulcheria Augusta Dei genetrici templum construxerit, ubi Antiochiâ missam verbi matris imaginem dedicavit, quam Divus Apostolus Lucas ipse manibus depinxit, illa adhuc vivente, & tabulam ipsam vidente. Sed hanc relationem multi in dubium vocant. Certius est, quod Tertullianus circa annum Christi 200 scribit in lib. de pudicit. cap. 7. in calice cœnæ Dominicæ expressam fuisse imaginem Pastoris ovem perditam quærentis: Unde constat, Imaginem illam Salvatoris jam tum in æde sacra fuisse.

IV.

A 2

Sed,



Sed, præter hanc, Primis tribus seculis post natum Christum, nullam in templis toleratam fuisse imaginem legimus, nec sculptam, nec textam, quod ideo factum, ne conversi ex gentilitate occasionem lapsus haberent, sed sine imaginum cultu discerent adorare Deum in Spiritu & veritate: quò pertinet omnis disputatio *Lactantij* de simulacrorum primo ortu fallaciq; deceptione *lib. 2. Instit. cap. 2, 4, 18, 19.* quo sensu etiam *Augustinus* disputat, Deum longè rectius & castius coli sine simulacris, *lib. 4, de Civ. Dei cap. 30.*

V.

Sequentibus Temporibus in partes scindebantur Patres Orthodoxi. Quidam ne quidem historicum imaginum usum ferebant, ac proinde imagines ne pingi quidem, fingi aut sculpti permittebant in templis, inter quos imprimis fuit *Epiphanius*, qui velum pictum in vico Bethel in templo collocatum discerpfit, & in Concilio Elibertino Can. 36 prohibetur factura imaginum, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Id quod alij postea imitari sunt, cum viderent imagines in templis coli, & ab hominibus coram illis procidentibus, adorari; quam ob causam imagines omnes fregerunt & è templis ejecerunt, unde Iconoclastæ dicti sunt, quorum patroni fuerunt Imperatores, *Philippicus, Leo Isauricus, & Constantinus Copronymus.*

VI.

Alij Imagines in templis non tantum habuerunt sed & divinis honoribus affecerunt, præsertim imaginem Christi, Beatae Mariæ & Sanctorum, inter quos etiam *Damascenus* fuit, circa annum Christi 680, qui orat. 2. de Imaginibus scribit: *Qui imaginem ad Christi, aut matris ejus Dei genitricis aut alicujus Sanctorum gloriam, & memoriam, diaboliq; & demonum ipsius ignominiam & detrimentum, divino studio atq; ardore consecram evertere conatur, ac non potius adorare & colere ac venerari studet ut rem honore dignam, non autem ut Deum: hunc Christi & Sanctæ Dei genitricis, & Sanctorum hostem, diaboliq; ac demonum ejus defensorem omnes homines esse non dubitent &c.* Et hi dicebantur *εικονολατραι*, quibus atrocissimum ferebat *Irenæ* *Leoris* IV. Imperatoris relicta vidua, adjuta Pontifice *Adriano.*

VII.

VII.

Utraque Opinio à vero aberravit : Illa in defectu, imagines prorsus exterminans, ijsque planè nullum usum relinquens; hæc in excessu, imaginibus divinos honores ascribens. Propter utramque opinionem convocata fuere concilia contraria: Unum quidem à Constantino Copronymo, Constantinopolitanum universale VII. vulgo vocatum, circa annum Christi 755, in quo damnati sunt *εικονολάτραι*, omnisque imaginum usus in templis prohibitus. Alterum ab Irene, instigante Papa Adriano, Nicenum Secundum, quod itidem universale septimum fuit appellatum, circa annum Christi 788, in quo damnati sunt *εικονομαχίται*.

VIII.

In ijsdem extremis versantur hodiè Pontificij & Sacramentarij, quorum illi imaginibus in templis manifestam exercent idolatriam, dum suffitus ijs faciunt, coram illis procumbunt, eas adorant, & auxilium ipsarum implorant : Hi verò dum huic idolomanie resistere volunt, imagines omnes è templis deturbant, nec illarum usum ullum agnoscunt, quin & eos, qui imagines in usu tantum historico in templis tolerant, tanquam idololatrias & præceptis divinis non obsequentes proclamant.

IX.

Quemadmodum ergò olim Patres aliquamulti mediam tenuere sententiam, ut Gregorius Nyssenus, Cyrillus, Basilus, Chrysostomus, Gregorius Magnus, Paulinus, Prudentius, & alij, qui cultum imaginum prohibentes, ipsas tamen imagines propter historicum usum & alios fines utiles retinuerunt, quæ sententia etiam tempore Caroli Magni in Concilio Francofurtensi circa annum Christi 794. confirmata, & tam iconolatriis quam iconoclastis opposita fuit : Ita nostræ Ecclesiæ hoc tempore mediam tenent sententiam inter erroneas de imaginibus opiniones Sacramentariorum & Pontificiorum.



De Pontificiorum Idololatria alio tempore, si Dominus voluerit; Jam de ijs tantum, quæ inter nos & Sacramentarios, qui se Reformatos nominant, de imaginibus in controversiam veniunt, differere fert animus: Ubi nostram sententiam perspicuè proponemus & roborabimus: Adversariorum v. opinionem & ἀντιμπαλα examinabimus: quod benè vertat Altissimus, qui nos ad imaginem suam condidit.

XI.

Discrimen Imaginis, Typi, & Idoli.

Primùm omnium observandum est in hac controversia discrimen inter imagines; Typos; & Idola. Imago Hæbreis dicitur תְּרַפִּים צֶלֶם תְּמוּנָה יֶצֶר מַסְכָּה פֶסֶל Græcis εἰκὼν, εἶδος, ἰμῶσιμα, & est qualiscunque rei alicujus representatio, sive in materia quadam externa, sive in mente hominis; & tam de rebus inanimatis quam animam habentibus usurpatur, unde & homo Imago Dei appellatur Gen: 1, 27.

XII.

Typus, prout cum imagine aliquam cognationem habet, Hæbreis est כְּנִיָּה Exod. 25, 9. Græcis Τύπος Actor: 7, 44. & dicitur adumbratio seu delineatio & exemplar alicujus rei, qualis erat typus tabernaculi, quem Moses à Domino Exod: 25, 9. & typus templi, quem à Davide Salomon accipiebat 1. Paral. 29, 11. Hinc factum, quod & historiæ Veteris Testamenti typi dicuntur eorum, quæ in Novo contigerunt: quo pacto plagas Israelitarum in deserto Paulus typos nostros appellavit 1. Corinth. 10, 6. & exaltationem ænei serpentis in deserto typum Christi in cruce exaltati, Jonam è ventre ceti egressi, typum Christi à mortuis resurgentis, agnum Paschalem Typum Christi pro nobis immolati appellare solemus, quia hoc in genere præeuntem habemus scripturam Job: 3, 14. Matth: 12, 40, 1. Cor: 10, 7.

XIII.

Idolum.

Idolum est Imago vel in mente ficta, extrinsecus in certâ quadam materiâ picta, sculpta, fusa, cui divini tribuuntur honores, quocunque modo id fieri possit: Hæbreis sunt אֱלִילִים deæstri Habac. 2, 18, quia ex opinione hominum pro dijs habentur, cum non

691.
non sint: Græcis εἰδωλον ἄτορον. 21, 25. Rom: 2, 22. 1. Corinth. 8, 1. In
scriptura dicuntur idola muta Habac: 2, 18, Simulacra muta 1. Cor:
12, 2, quia os habent & non loquuntur Psal. 115, 4. seqq.

XIV.

Sunt autem Idola in duplici differentia. Quædam sunt
imagines visibiles in materia aliqua externa artificis manu ex-
pressæ; & in hunc finem erectæ, ut colantur, quales erant crassa
illa gentilium idola, Dagon, Anamelech, Arza, BaalBerith, Baal-
phegor, Baalzebub &c. de quibus Paulus Rom. 1, 23, quod gentiles
gloriam Dei veri & æterni commutarunt in similitudinem ima-
ginis hominis corruptibilis, volucrum, quadrupedum & repti-
lium &c. Quædam sunt notiones conceptæ in mente etiam de
rebus in se bonis & utilibus, quasi peculiarem habeant & sancti-
moniam & efficaciam, ob quam divinis dignæ sint honoribus.
Quo pacto Israelitæ ex serpente æneo fecerunt idolum 2. Reg: 18, 4
quin & exercitui cælorum sacrificarunt, ut dijs 2. Reg: 23, 5. Actor.
7, 43.

XV.

De his idolis omnibus scribit Apostolus 1. Corinth. 8, 4. ido-
lum nihil est in mundo. Nam etiam si ratione materiæ, aut notio-
num in mente, aliquid sit: ipsa tamen opinio & persuasio divinæ
virtutis, quæ propriè idolum facit, nihil est, hoc est, dicere non
possumus, quod ejusmodi res, cui divinos tribuimus honores,
nullam habeant virtutem divinam, adeo ut si ipsis aliquis inesset
sensus, ipsæ hominem factorem suum essent adoraturæ, dicente
Lactantio lib. 2. Instit. cap. 2.

XVI.

Hinc colligere possumus, in quo nam vera ratio imaginis &
idoli consistat, ex quo de discrimine utriusque statuere facilius
erit. Ratio imaginis in eo consistit, non ut aliquid ad vivum *Ratio imagi-*
depingatur, ut Calviniani volunt, qui imagines CHRISTI, *nis,*
Mariæ, & Apostolorum falsa testimonia nominant, quia ne-
mo unquam has personas, quas nunquam vidit, ad vivum depin-
gere possit: sed tantum in eo, ut qualemcunque alienius rei si-
militudinem repræsentet. Nam & mens nostra format imagi-
nes rerum, quas ad vivum non repræsentat; Angelorum imagi-
nes



nes haberi possunt, quos tamen nemo vidit, quin & homo dicitur imago Dei, quem tamen exactè, & in omnibus non representat.

XVII.

Ratio idoli. Ratio Idoli, non in ipsa imagine aut materia ejus, sed in cultu consistit. Nam idolum est in prædicamento *תבנית*, & habet suum materiale & formale. Materiale idoli est, lignum, lapis, aurum, argentum &c. illudq; vel pictum vel fufum vel sculptum &c. Formale est religiosus cultus, ortus in mente hominis ex falsa persuasione alicujus sanctitatis & efficaciam. Sublato igitur formali, manet adhuc materiale, hoc est, sublato cultu, relinqui potest imago, absque ullo periculo idoli.

XVIII.

Duplex cultus idoli.

Cultus autem hic, qui proprie facit ex imagine idolum, duplex est: Aut enim consistit in externa reverentiâ & gestibus corporis, ut, cum statuas peculiari ritu a communi usu sequestrarent Dan. 3, 3. vestibus & coronis ornarent Baruch 6, 9, 12, templâ & altaria eis extruxerunt, 1. Reg. 11, 17, 16, 32. Exod. 32, 5. 1. Reg. 18, 26, coram illis clamarent Baruch cap. 6, 31. osculati sunt eas. 1. Reg. 19, 18, &c. Aut in persuasione mentis, & opinione magna de ipsarum divinitate, ut cum vocarent eas deos suos 1. Reg. 12, 28. habuerunt eas pro patribus suis, qui genuerint ipsos 1. Reg. 2, 27, &c. Externa illa reverentia idolorum vocatur *תבנית* internus ille cultus *עבד* Exod. 20, 5. Deut. cap. 5, 9. propter utrumque cultum vocantur dij aurei & argentei, Exod. 20, 23.

XIX.

Hujusmodi cultum ad tempus homines supersticiosi tribuere possunt imaginibus, & quam diu hoc fit, idola sunt: cessante autem cultu, idolorum quoque ratio propria cessat; nisi quod interdum ex consuetudine vulgi nomen idoli adhuc manet, imò DEUS ipse idola gentilium, etiam tum cum non colebantur, sed confringebantur, idola vocat, Deut. 7, 5. siquidem in omnibus linguis nomina relata poni solent pro absolutis: quo pacto limitis nomen manet lapidi in agro, licet officium limitandi agrum non amplius obtineat: & summi Pontifices apud Judæos

dæos nomina sua retinebant, etiam post rem sublatam, ut Casaubonus probat *Exerc. 13. ad Annal. Baron. pag 178.*

XX.

Existimant quidem Calviniani, id, quod semel usum habuit idololatricum, idolum esse & manere, quam diu vel minima ejus particula superest; item reatum idololatriæ pristinae facere ex imagine idolum, licet hodie nulla amplius accedat idololatria, ut *Theophilus Mosanus* in vindicijs Scultetianis p. 296. ex Theologis Ambergensibus scribit: Sed falsissimum est. Nam cultus actu exercitus facit idolum, ut *Mosanus* fatetur pag. 38. Et ignis, sol, luna cum toto exercitu cœlorum olim divinis affecta sunt honoribus *2. Reg. 23, 5.* nec tamen dicere possumus, illa etiam esse idola. Possunt enim res ipsæ post abrogatum abusum in vero & legitimo suo usu relinqui.

XXI.

Quemadmodum ergo, cum Rubenitæ & Socij olim ob extractam aram cis Jordanem in jus vocati, absoluti fuerunt & excusatio ipsorum libentissimè admissa, cum ostenderent, se nequaquam altare extruxisse ad holocausta & sacrificia, & victimas offerendas, sed tantum in testimonium, quod licet trans Jordanem inter fratres suos non habitarent, minimè tamen à Deo suo recesserint *Ios. 22, 28, 29.* Ita, si qui nil nisi pacem Ecclesiasticam ore crepant, ex animi sententia pacem quærent, acquiescere omnino, & turbis suis parcere Ecclesiæ deberent, cum audiunt, imagines in templis nostris, non ob cultum aliquem, sed ob usum tantummodo historicum prostare. Sed jam omnia plena sunt rixarum, dum isti homines imagines in genere, Dei, Christi & Apostolorum ferre nequeunt, & illarum remotionem in templis tanquam necessariam urgent: qua de re deinceps dicendum erit.

XXII.

Quod imagines in genere ferre nequeant, constat ex Anhaltinorum scripto, quo docuerunt olim, historias Biblicas non esse pingendas, nec imaginem Dei, Christi, & Apostolorum, cum omnes imagines gentilissimum sapiant. Quin & nuperrimè *Theophilus Mosanus* in vindicijs suis docuit, imaginem serpentis erigere
B fuisse



fuisse mandatum Dei extraordinarium: Si ergo similem imaginem ut erigamus, à Deo mandatum nobis fuerit, tum demum faciendum esse alias Dei mandatum nos habere, ne faciamus imaginem pag. 39. Vnde sequitur, juxta Mosanum, ne quidem serpentis imaginem pingendam esse sine expresso Dei mandato. Eiusdem generis est, quod idem Mosanus p. 333. scribit: Deum nusquam præcepisse, nusquam etiam permisisse, ut historiam creationis, aut similem pingamus: quod sanè est pleno ore etiam simplicem picturam historiarum Biblicarum prohibere.

XXIII.


Quod imagines facere liceat.

Sed quod non tantum historias hujusmodi, verum etiam imagines alias pingere, sculperè, fundere, & quocunque alio modo parare liceat, docere non est difficile. Nam I. ars pictorum, sculptorum, fusorum, & similibus, est à Deo, quod Exempla Bezalelis, Ahaliabi, Hiram, testantur Exod. 35. v. 31. seqq. I. Reg. 7. v. 13. II. Deus ipse imaginibus usus est; dum Mosi ideam tabernaculi Exod. 25. v. 40. Act. 7. v. 44. Hebr. 8. v. 5. Prophetis & Apostolis res varias in imagine monstravit Ezech. 4. v. 3. Act. 10. v. 19. c. 16, v. 9. & in Apocalypsi pluribus capitibus. III. Imagines pingi & sculpi ipse jussit, ut Cherubinos super propitiatorium, & in parietibus templi in forma juvenum pedibus suis stantium. 2. Paral. 3. 13. mala granata in oravestitis Sacerdotalis Exod. 28, 33. serpentem æneum Num. 21, 8. IV. Ipsa natura plena est imaginum in varijs phænomenis in speculis, in nubibus, in iride, in aquis &c. V. Disciplinae diversae suas habent imagines; ut Mathesis, Physica, Geometria, poësis etiam, quam Cœlius Rhodiginus *picturam loquentem* nominat lib. 7. *lection. antiq. cap. 3.* ut nihil dicam de notionibus secundis in logicis, de prosopopœia & hypotyposi in Rhetoricis, quæ nihil aliud sunt, quam imagines. VI. Historias Biblicas in primitiva Ecclesia pictas fuisse constat ex Augustino, qui suo tempore historiam de immolatione Isaaci multis in locis pictam fuisse affirmat lib. 22, *contra Faustum Manich. cap. 73.* ut nihil dicam de reliquis.

XXIV.

Imaginem Dei pingere

Quod Dei imago pingenda non sit, multis modis continentur *εικονολατρίαι*: Argumenta ipsorum postea audiemus; jam nostram

nostram sententiam tantum explicabimus. Minime vero quas licet ea for-
 libet Dei imagines, quas quisque sibi fingit pro lubitu, admitti-
 mus. Nam neque essentia Dei imagine representari potest, ne-
 que eius formæ imago, in qua non apparuit, ferenda est. Ideo
 nec Calvinianorum imaginem, qua representant Deum in for-
 ma radiorum cum inscriptione  neque Trigonum S. Tri-
 nitatis à Joachimo Vadiano consule Sangallensi in Helvetia fa-
 bricatum, nec alias ineptas Dei imagines laudare possumus; ibi
 enim locum habet illud *Esaie 40, 18. Cui similem fecisti Deum, aut
 quam imaginem ponetis ei?* Huc etiam pertinet interdictum Dei
Deut. 4, 10. Et hoc est, quod D. Paulus reprehendit in gentilibus,
 quod nimirum gloriam D. E. I. incorruptibilis mutarunt in
 similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum
 & quadrupedum & serpentium *Roman. 1, 23.* Nam Jovem
 putarunt esse hominem, crocodilos, catos, canes, vitulos, serpen-
 tes pro dijs habuerunt, de quo vide *Augustinum lib. 2. de Civit. Dei
 cap. 22, & lib. 8. cap. 26. Diodorum Siculum lib. 1. Biblioth. cap. 4.*
 Quod cum imitarentur Judæi, dicebatur de ijs *Psal. 106, 20, muta-
 verunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum.*

XXV.

Illam vero Dei imaginem, quâ tantum representatur for-
 ma Dei, in qua apparuit, & cujus expressa descriptio reperitur in
 scriptura, facere, minime est prohibitum, ut, cum Deus pater
 pingitur in forma senis; ita enim apparuit *Dan. 7, 13,* & cum pin-
 gitur in historia Baptismi Christi Deus pater in forma hominis
 loquentis, filius in forma hominis baptismum accipientis, & Spi-
 ritus S. in forma columbæ super Christo quiescentis: Ita enim
 apparuit *Matth. 3.* In his imaginibus nihil est, quod pietatem, fi-
 dem aut conscientiam lædat I. Quia Deus ipse, dum in ista for-
 ma apparuit, ita se depinxit, demittens se ad caput nostrum.
 II. Non representatur ipsa Dei natura, sed tantum forma, in
 qua apparuit, sicuti forma Angelorum, quos in sua essentia
 nemo pingere potest, in forma juvenum pingebantur in tem-
 plo Salomonis, quia in tali forma Cherub apparuit in Parady-
 so *Gen. 3, 24.* III. Quia Calviniani ipsi pingunt qualemcunq; Dei i-
 maginem, ut supra audivimus, in quâ tamen formâ Deus nun-
 quam apparuit. Cur ergo nostram imaginem, quæ tantum appa-
 ritio

B 2

ritio



ritionem Dei representat, ferre non possunt? Quomodo imaginem illam suam defendere conentur, vide in libello meo Germanico de Imaginibus cap. 4. IV. Quia existimant nonnulli, Patriarchas et jam interdum Deum in ea, qua apparuit ipsis, forma depinxisse. Quemadmodum *Eustathius* in *Catena Græca* scribit de lapide, quem Patriarcha *Jacobus* erexit *Gen. 28, 18: 31, 45. Lapidem seu Columnellam erexit, visionis monumentum, exprimens pro viribus, imaginem ejus personæ, quæ sibi apparuerat:*

XXVI.

Argumenta
Adversario-
rum contra
picturam Dei.
Primum ar-
gumentum.

Huic nostræ Sententiæ de imaginē Dei opponunt Adversarij verba *Jehovæ Exod. 20, 4. Non facies tibi Sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum &c. Eadem repetuntur Deut. 4, 16. Hinc inferunt, Deum non tantum idola, sed & ipsas imagines prohibuisse: quia prohibuit id, quod manu artificis fit: idola verò non fiunt manu artificis, sed ipsæ imagines, quæ in allegatis locis פסל וְ תמונה vocantur, ut habet *Mofanus* in vindicijs pag. 230.*

XXVII.

Responsio.

Verum committitur in hoc argumento fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam imagines utique fieri Deus prohibuit, sed non in se seu simpliciter, quatenus tales, alibi enim imagines in se fieri præcepit *Exod. 28, 1, 31, 33, Num. 21, 9. Sed respectu cultus & adorationis, sicut expressè additur: Nec adorabis ea, neq; coles. Ideò imagines prohibitæ non simpliciter imagines, sed Elilim, seu deastri appellantur, cum ipsorum factura prohibetur Levit. 26, 1. Eodem modo statuas & lapides erigere prohibitum est l. d. Levitici, non simpliciter & in se, nam & *Jacob; & Josua, & Samuel* ejusmodi monumenta erexerunt *Gen. 28, 18. Ios. 24, 26, 27, 1. Samuel. 7, 12. sed secundum quid, & certo fine, ne scilicet adorent eos, ut expressè additur. Vide Lutherum Tom. 3. Jen. Germ. fol 386.**

XXVIII.

Observentur autem rationes, cur in lege Domini *Exod. 20, Levit. 26, Deut. 4.* non simpliciter imagines, sed idola tantum prohibita sint; quas paucis annotabo. I. Quia prohibetur Sculptile,

697.

ptile, non cum hac restrictione, ne representetur aliqua forma Dei, sed ne adorent illud, quod in Levit. cap. 26, 1. uno versiculo immediate cohæret. Unde LXX. interpretes verba Exod. 20. ita reddiderunt, & ποιήσεις σεαυτῷ εἰδωλον non facies tibi idolum. II. Deus locis allegatis ejusmodi prohibuit imagines, quæ sint dij alieni, quod fatetur etiam Mosanus pag. 238. imagines verò si non colantur, non sunt dij alieni, alias omnes statuæ & lapides, quos erexerunt sancti, ipsæ quoque picturæ tabernaculi & templi fuissent dij-alieni. III. Imagines à Deo prohibitæ vocantur dij argentei & aurei, Exod. 20, 23. & dij conflatile, Lev. 19, 4. sed imagines in se suaque materia & externa forma consideratæ absque adoratione & cultu non sunt dij conflatile aut argentei &c. Nam dij in scriptura sunt, qui vel vicem Dei veri gerunt in terris, vel coluntur ut Deus. IV. Illud prohibetur, in quod Zelotypia fertur, ut patet ex præmio Decalogi: Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes &c. Sed zelotypia Dei non fertur in imagines, sed idola: Sicut maritus (inde enim ducta est similitudo) non irascitur, si uxor imaginem mariti habeat, sed si alterum virum admiserit. V. Quia Deus ipse in imagine seu visibili quadam forma se representavit, utique imaginem sui facere non potuit prohibere. VI. Quin imò si imagines simpliciter interdictæ essent, nemo sine peccato de Deo cogitare posset, quia hujusmodi conceptus de Deo non sunt absque imagine in mente.

XXIX.

Hactenus primum Argumentum Calvinianorum contra imaginem Dei. Deinde argumentantur ex Deut. 4, 15. quia *Secundum argumentum* Judaei eo die, quo Deus locutus est in Horeb de medio ignis, nullam viderunt imaginem Dei; ideo & nulla est facienda. Ita enim dicit Dominus: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem &c.*

XXX.

Sed simpliciter prohibitæ essent omnes imagines & similitudines Dei, Deus ipse non potuisset in similitudine antiqui dierum se manifestare Dan. 7. Certò igitur respectu intelligenda *Responso.*



698.

da sunt verba Domini, videlicet I. ne fiat ulla similitudo, quæ Dei naturam exprimere perhibeatur: Sicut olim Ethnici Deum putabant esse formam hominis, quia Jovem suum hominem, credebant, & pueri quidam humana forma Deum cogitant, quæ opinione nihil est abjectius, dicente Augustino *lib. 1. de moribus Eccles. Cathol. cap. 10.* II. Ne fiat talis similitudo Dei, quæ colatur, ut v. 19. expresse additur. Verba ergo Jehovæ non imaginæ & similitudini simpliciter, sed superstitioni & idololatriæ sunt opposita.

Tertium argumentum.

Respon.

XXXI.

Aliud Argumentum perunt Adversarij ex cap. 1. ad Rom. ubi scribitur, Deum esse incorruptibilem, & in imaginem corruptibilis creaturæ mutari non posse, quod cum facerent gentiles, gravissimè sunt à Deo puniti. Sed nihil contra nos concluditur: Nemo enim nostrum dicit, quod imago Dei repræsentet incorruptibilem ejus naturam, sed externam illam formam, in qua aliquando apparuit, qualitercunque depingit. Gentiles autem in sensum reprobum tradidit Deus, eò quod veritatem mutarunt in mendacium &c. *Rom. 1, 25.* Addit autem, quomodo illa mutatio facta sit, videlicet I. quod gloriam incorruptibilis Dei mutarunt in gloriam corruptibilis hominis, volucrum & quadrupedum. II. Quod ista animalia adorarint, ut Deum: hoc fecisse gentiles testatur Augustinus *lib. 8. de civit. Dei cap. 33. & lib. 7. cap. 14.* cum quibus omnibus nihil nobis est commercij. Nihil ergo contra picturam Dei in ea forma, in qua apparuit, allatum fuit hæctenus.

XXXII.

Imaginem Christi facere licet.

Non minus Christi imaginem impugnant Calviniani, quam Dei Patris, præsertim Christi Crucifixi, cujus imaginem ideo ferre non potuit Beza, quod sit imago crudelitatis Judæorum in Christum, *in colloq. Mompelg. p. 418,* quæ verba Mosanus in suis vindicijs defendere conatur p. 288. Responsum nostrum vide in libello de imagin. c. 9. Multa autem sunt, quæ pro imagine Christi sive patientis, sive prædicantis, sive crucifixi, sive resuscitati, sive etiam in alia historia considerati, adferri possunt, quæ in unum fasciculum colligam, & ad rationes τῶν εἰκονοκλαστῶν paucis respondebo.

XXXIII.

XXXIII.

Negari primùm non potest, quod cum Christus pingitur in forma hominis, nihil à veritate alienum fiat. Nam non tantum formam externam, sed & naturam humanam assumpsit, in qua & inter homines habitavit, & habitu, ut homo inventus fuit *Phil. 2, 7.* res suas visibiliter expedivit, passus mortuusq; fuit, à morte resurrexit, in cœlos ascendit: quæ historiæ verissimæ sunt, quas pingere nihil vetat.

XXXIV.

Et hoc in genere præeuntem habemus scripturam. Nam Christus in historia serpentis in deserto exaltati suam in cruce exaltationem depinxit *Iob. 3, 14.* Paulus suam de Christo prædicationem cum pictura ejusdem confert, quando scribit, Christum ante oculos Galatarum præscriptum esse, q. inter ipsos crucifixum *Gal. 3, 1.* hoc enim est præscriptum esse, nimirum viva velut imagine expressa depictum per prædicationem, ut Theophylactus exponit. Qui vero vel Christus vel Paulus ab istis imaginibus similitudinem suam petere potuissent, si ipsas imagines illicitas putassent?

XXXV.

In Primitiva Ecclesia etjam imago Christi sine peccato aut periculo impune fuit usurpata, ut supra de imagine Christi portantis oviculam humeris suis, tempore Tertulliani calici insculpta audivimus. Eusebius vidit imaginem Christi in medio imaginum Petri & Pauli *lib. 17, hist. cap. 14.* Hæmorrhousa imaginem Salvatoris ex ære fusam in publico loco urbis Cæsareæ statuit, teste Eusebio loco dicto, & cum Julianus Imperator hanc imaginem tolli, suamq; in ejus locum substitui jussisset, à Christianis in templum collocatum fuit, referente Sozomeno *lib. 5. Histor. Eccl. cap. 20.* Meminit insuper Tertullianus crucis Christi, & contra Paganos defendit ipse & paraphrastes ejus Franciscus Zephyrus in *Apolog. cap. 16.* Gregorius Nyssenus super Cantic. scribit, se imaginem passionis sæpe non sine lachrymis adspexisse. Similia vide apud Gregorium Magnum ad Secundin. *lib. 7. Epist. 13,* Orogen. *lib. 6. in Epist. ad Roman.* Socratem *lib. 6. hist. Eccl. cap. 8.* Augustinum *tract 36. in Johaa.*

XXXVI.



Et quis sine imagine de Christo, quæ mente concipitur, legere potest historiam de nativitate, baptismo, passione, morte Christi &c? Imò optimæ sunt conciones illæ, quæ historias de Christo ita proponere possunt, ut in corda auditorum q. depingantur, quæ dicuntur. Neque obstat, quod imagines hæ mentales nullos habent colores, quia ratio imaginis non in coloribus consistit, neque in materia, ex qua quid fingitur aut sculpi-
pitur: Sed in repræsentatione rei, sive externa sit, sive interna.

Quin & ex Adversarijs aliqui, qui Dei imaginẽ vix ferre possunt, Christi tamen imaginẽ non prohibent. Ita n. Bucerus scribit in Metaphrasi & enarrat. Cap. i. ad Ro. *Christus verus homo cum factus fuerit, hicq; visibiliter conversatus sit, potest utiq; effigiari, ut & cæteri divi & angeli, quantum quidem ad eas formas, quibus ipsi se humanis oculis intulerunt, hominum scilicet, flammæ, auræ, volucrum &c.* Horum ergo imagines (quibus tamen in Christo angelis & divis exprimuntur, quæ revera gesta sunt) fieri haberiq; posse à Christianis non dubitârim. Sic Petrus Martyr scribit in locis Commun. class. 2. loc. 9. *Christus quatenus homo est, ita fingi & pingi potest.* Non enim id pugnat cum rei natura, cum homo verè fuerit, neq; cum arte pingendi, quæ corpora imitari potest. Et cum ibid. dixisset, Theodosium & Valentinianum mandasse, ne Christi signum pingeretur in metallis, silicibus, aut ligneis tabulis, ut in libro primo, tit. 8 habetur in codice: addit ipse: *Legem esse ambiguum, quæ videtur significare, ne in pavimento exprimat, quo scilicet pedibus non calcetur, neve conspuatur.* Ita scribit Zanchius in cap. 3. Gen. cap. 15. thes. 2. *Hinc apparet, impium non esse, si pingatur Christus qua homo est, modò ne adoretur imago talis &c.* vide tom. 4 oper. fol. 385. Sic Henricus Pantaleon Medicus Basiliensis part. 1. suæ prosopographiæ, cum vitam Christi breviter describeret, præfixit imaginem ejus cum erectis duobus digitis dexteræ manus pag. 91.

Huc pertinent imagines Salvatoris in ducatis Ungaricis, imagines crucis in cruciatis & alijs monetis, quas Calviniani minime abijciunt. Quamquam Mosanus pag. 50, suarum vindici-
arum,

arum, & speciem mali & periculum adorationis apud suos ho-
mines, in hujusmodi monetis pro sua prudentia animadvertit;
& Pontificijs, qui monetis imagines illas primū impresserunt,
pro suo zelō indignatur; & mutationem hoc in genere, pro sua
pietate promittit: interim ipse cum socijs idola illa (ut vocare so-
lent imagines salvatoris) in oculis cistisque suis magnā cum to-
lerantia relinquit; ferendum enim ipsis est, (ut Molanus hac de
re scribit) quod mutari non potest. Satis de nostris Argumen-
tis: Audiendi jam sunt εἰκονοκλάται.

XXXIX.

Dicunt ergo, Christum propterea in mundum non venif-
se, ut pingeretur, sed ut homines salvos faceret, Christum nun-
quam, ut pingeretur, mandasse. Respon. Non quæritur cur
Christus in mundum venerit, vel quid mandarit? Sed an pingi de-
beat ejus imago. Si vero nihil faciendum, quam id, cujus gra-
tia Christus in mundum venit, & cujus certum habemus man-
datum, utique nec circumcidere Paulus Timotheum, Titum ve-
rò incircumcisum relinquere potuisset, Gal 2. quia nec propte-
rea Christus in mundum venit, nec a Christo mandatum acce-
pit. Propter quæ Christus venit, quæque ipse præcepit, neces-
sariò fiunt, imaginum autem usus nobis est indifferens, neque
cum fine adventus Christi in mundum pugnat: ideo objectiva
cula isthæc nos non ferit,

*Argumenta
Adversario-
rum contra
imaginem
Christi.*

XL.

Dicunt deinde, quia Christum nemo vidit, ideo nemo eum
pingere potest. Respon. Ecquis verò vidit unquam Angelum?
& tamen ab Angeli pictura non abhorrent iconoclastæ; & quis
nostrorum pictorum vidit Imperatores priscos? & tamen eos
in hodiernum adhuc diem pingere licet, & pingunt Calviniano-
rum pictores. Supra enim diximus, ad imaginem non requiri rei
depictæ identitatem, sed qualemcunque similitudinem: qui er-
go CHRISTUM in forma hominis pingit, a vero non aber-
rat, etiamsi lineamenta & colores ejus exactè non exprimat:
aliud enim est qualiscunque imago; aliud expressa effigies ho-
minis.

C

XLI.



Dicunt præterea, Christum ideo pingi non debere, ne videatur tantum esse homo, cum humana tantum ejus effigies, nequaquam autem etiam Deitas pingi possit. Quo Argumento olim usi quoque sunt iconoclastæ in Concilio Constantinopol. VII. Sed quemadmodum oculus non videt, quod credendum est in Christo, divinam videlicet naturam, & tamen fides in eum fertur Christum: Ita pictor tantum quod sub picturam cadit, in Christo pingit, salva manente ejus divinitate. Quo pacto etiam homo pingitur, licet anima ejus non pingatur. Eodem modo olim ad hoc argumentum respondit Petrus Martyr loco prius laudato: *Ut verum dicam, inquit, parum hæc ratio probatur: quæ si vera esset, non liceret ullum hominem pingere; quod anima, quæ Spiritus est, nequeat exprimi.* Eadem fuit Responsio Epiphanij Diaconi, cum Gregorius Nyssenus hoc ipsum obijceret in Concilio Niceno II. action. 6. ro. 3. Conc. edit. Biana f. 364, 365.

XLII.

Præ cæteris omnibus autem oderunt imaginem crucifixi, de quo Beza dixit in Colloquio Mompelg. *se ex animo eam averſari, eo quod sit imago crudelitatis Iudæorum in Christum;* de quo supra thes. 32. Mosanus etiam hanc rationem addit pag. 288, quia non sine idolomania consecratur, & ad incantationes interdum adhibetur. Sed de omnibus crucifixi imaginibus dici hoc non potest: Si verò illæ, quibus hoc olim in Papatu accidit, hodie propterea abrogandæ essent, eandem ob causam ipsa quoque templa, & cathedræ publicæ, quæ non minus idololatricis ritibus, & tantum non incantationibus consecratæ & ad res illicitas usurpatæ fuerunt in Papatu, penitus evertendæ forent. Scimus autem quod idololatria non sic in materia, sed in corde hominis, unde evellatur per fidelem informationem, & in ipsa imagine nihil erit periculi. Nos cum Gregorio ex Epistola ad Serenum dicimus: *Si quis imagines facere voluerit, minime prohibe, adorare verò imagines, omnibus modis evita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.*

XLIII.

Imagines san-
ctorum facere
licet.

Quod tandem Beatæ Virginis & aliorum sanctorum imagines attinet, exëpla primitivæ Ecclesiæ satis multa sunt, quod olim in usu

usu fuerint. De imagine B. Virginis vide Nicephorū l. 14. hist. Eccl. c. 2.
 de imagine Petri & Pauli Eusebium. l. 7, c. 14. & Augustinum. lib. 1. de
 Conf. Evang. c. 10. de Apostolorum omniū imaginibus Bedam c. 5. de
 locis sanct. to. 3. de imagine Steph. Evodium l. 2. de imaginibus martyriū
 Gregoriū Nyss. in orat. in Theodor. Martyrem. ut & Poëmata Paulini,
 Natalis Felicis, Prudentij & aliorum. Et hoc quidē in genere parū
 à nobis discrepare videntur iconoclastæ; nisi quod Mosanus p. 172
 ex sententia rel. quorū desiderat, quod vera sanctorū effigies no-
 bis sit ignota. Sed hic defectus nullus est, hoc in loco, ubi non de
 effigie sanctorum ad vivum expressa, sed qualicunq; ipsorū simili-
 tudine agitur: de quo & supra diximus. Hactenus ergo primum
 membrum hujus disceptationis absolvimus, quod nimirum i-
 mages Dei, Christi & sanctorum facere liceat.

XLIV.

Jam quæritur, utrum hujusmodi imagines in æde sacra
 sint collocandæ? Ubi *ὡς ἐν ἁγίῳ* sciendum I. quod hic
 non de tali collocatione imaginum agitur, quæ fit cum peculia-
 ri benedictione, consecratione, precibus & alijs ritibus in Pa-
 patu usitatis. 2. Nec de imaginibus Ethnicis, vel ad levita-
 tem & scandalum inclinantibus. 3. Nec de adoratione aut
 quocunq; cultu imaginum. Sed de simplici collocatione i-
 magingum Dei, Christi, & sanctorum, sine ulla superstitione aut
 adoratione.

*Utrum ima-
 gines Dei,
 Christi & san-
 ctorum in
 templo sint
 ponendæ?*

XLV.

Quod ergo hujusmodi imaginū collocatio in æde sacra sit li-
 cita, ostendimus 1. quia nuspiā in scriptura est prohibita. 2. quia i-
 mages tales facere concessū est, ut hactenus probavimus; nulla
 ergo dari ratio potest, cur non factas in æde sacra collocari liceat,
 nam quæ hīc vulgò afferuntur, frivola sunt, de quibus paulò post
 audiemus. 3. quia talis imaginū erectio res in se est indifferens, quæ
 sine vulnere cōscientiæ negligi vel usurpari potest, & in qua neu-
 tra pars alterā damnare debet. 4. quia pleræq; harum imaginum
 ab Adversarijs habentur in ædibus privatis; cur ergo non etiam in
 æde sacra? Siquidem lex Domini de imaginibus & statuis Exod. 20.
 Lev. 26. observanda est in omni loco. 5. quia Deus ipse imagines in
 tēplo Salomonis poni, pingi, & sculpi curavit 1. Reg. 6, 23, seqq. 2. Par:
 3, 10. cū alias vitulos Jeroboami in Dan & Bethel non tolerarit 7.
 Reg. 12, 28. quia illę ad ornatū templi, hi ad cultū erant erecti. 6. quia



Deus olim imagines murium, quas Philistini fecerant, ob certas causas in loco templi sanctissimo juxta arcam fœderis tolerare potuit, cum idolum Dagon coram ea consistere non potuerit; ergo & imagines nostræ in templis ipsi non erunt adversæ. VII. quia antiquitus in Ecclesia primitiva absque periculo erroris imagines fuerunt in templis, ut supra ex Tertulliano, Eusebio, & alijs audivimus. VIII. quin & Calvinianorum aliqui imaginibus Biblicis, Epitaphijs, & similibus templa sua ornant, & inter ceteros *Thomas Mortonus Anglus* expresse scribit in *Turcopapismo lib. 2. cap. 9 pag. 408.* Nos historicum usum imaginum Christi, Apostolorum & aliorum hominum clarissimorum probamus. Non enim propterea reprehendimus Papistas, quod imagines habeant, sed quod cultum eis tanquam divinis reliquijs exhibeant. Neq; capitale est, imagines tenere, &c.

XLVI.

His opponunt iconoclastæ. 1. Mandatum Dei de non faciendis sculptilibus Exod. 20. quam legem non moralem vocant, quæ omnes homines obliget. Quod quidem nos minime negamus, sed inde non sequitur, imagines in templis collocandas non esse. Supra enim ostendimus, in illa lege non simpliciter εἰκονοποιῖαν prohibitam fuisse, sed εἰκονολατρίαν, quam nullo modo ferendam censemus, neque in privata domo, neque in æde sacra, eoque nomine ac sine nulla prorsus imago vel facienda vel erigenda: ipsa verò imaginum in loco sacro erectio nullam εἰκονολατρίαν facit, nisi Deum ipsum, cum imagines in tabernaculo & in templo fieri jussit, huic peccato occasionem præbuisse, dicere velis.

XLVII.

2. Deinde negant, collocationem imaginum in templis esse rem indifferentem, quia scandalum præbeat & occasionem idololatriæ. Ut autem res aliqua sit indifferens, duo ajunt esse necessaria: 1. ut res ista nemini det scandalum. 2. neq; idololatriæ occasionem. Verùm distinguendam est inter scandalum datum, & acceptum. Imagines per se in templis æque nemini dant scandalum, ac in nummis aureis atque argenteis, vel etiam in ædibus privatis. Si qui verò scandalum inde accipiunt, id non ex imaginibus est, sed ex mala opinione & pessima informatio-

ne

705
ne eorum, qui imagines adspiciunt; id quod imagines ipsas tol-
lere non potest. Recta verò institutio periculum illud scanda-
li facilè tollit. Sic & occasionem idololatriæ non dant imagi-
nes, sed idololatræ inde sumunt, quod imaginibus in sese nihil
præjudicare potest, Nam & sol & astra olim Judæis occasio-
nem idolomania præbuerunt, nec tamen quisquam fuit, qui ea
è cælo propterea deturbanda judicaret. Eo enim in genere re-
cta institutio etiam optimum est remedium.

XLVIII.

3. Tertiò, quod ex libertate Christiana imagines in tem-
pla collocamus, hoc modo impugnant Adversarij. Christum
nos non liberasse, ajunt, à lege morali, quæ prohibet imagines,
sed à maledicto legis, & à ceremonijs Leviticis. Id vero nemo
nostrum negat. Imagines autem in lege morali non sunt prohi-
bitæ, sed idola, quia, quod Deus in lege morali prohibuit, ipse
neque facit, neque fieri jubet aut permittit, cum lex illa sit im-
mota regula voluntatis divinæ: Imagines autem in tabernacu-
lo & templo fieri jussit. Deinde libertas Christiana non tan-
tum consistit in liberatione à maledicto legis & ceremonijs Le-
viticis, verum etiam in liberatione à jugo humanarum traditio-
num, ad quod etiam illam imaginum demolitionem è templis,
quam Adversarij ut necessariam urgent, referimus.

XLIX.

4. Quartò, de imaginibus in templo Salomonis dicunt,
nullum eas habere commercium cum nostris, quia I. illa à DEO
præcepta, nostra sine mandato introducta. Resp. Si præcepta, ergo non
simpliciter, ut fiant, in lege Mosis prohibita, ut supra volebant i-
conoclastæ: nam Deus contra legem moralem nihil disponit. No-
stræ vero imagines non indigent præcepto, quia alias necessariò
in templis ponendæ; Nos verò rem istam pro indifferente habemus.
Imago nos non cõmendat Deo: neq; n. si imagines habemus, Deo
placemus; neq; si non habemus, displicemus, ut Paulus in re simi-
li loquitur I. Cor. 8, 8. II. Illa erant imagines Cherubinarum, nostræ
verò Dei, Christi, & sanctorum. Respon. Sed nihil refert, quem-
admodum enim Angelum, qui est invisibilis spiritus, in ea for-
ma pingere licuit, in qua apparuit; ita & imaginem Dei invisibi-

his in ea forma, quâ apparuit, Christum autem & sanctos in ea forma, quam habent, pingere licebit: Hoc enim nusquam prohibitum legimus. 3. *Imagines in templo Salomonis erant extra conspectum hominum in sancto sanctorum, nostræ verò sunt in omnium conspectu, in parietibus, columnis & altariis templorum.* Respon. Sed duodecim boum imagines erant extra Sanctuarium in omnium conspectu, ut & Cherubini, palmæ & picturæ variæ erant in parietibus & ostiis in introitu templi 1. Reg. 6, 29. seqq. Neq; verò locus ex imagine facit idolum, sed opinio hominum, qui imagines quocunque in angulo latitantes reverentiâ & cultu dignas censent.

Ufus imaginum in Templis.

Relinquuntur igitur imagines in templo, ab hoc τῶν εἰκόνων κλάσιν incursum immunes. Jam de usu illorum in templis quaeritur, qui ferè quintuplex est. 1. inserviunt ad institutionem. Nam imagines sunt q. hieroglyphica γράμματα pro ijs, qui nec loqui nec audire, ac proinde nec legere nec scribere possunt, qui in picturis illis vident, quod alij ex verbo lecto vel audito percipiunt: Unde Gregor. lib. 9. Epist. 9. scribit: *Quod legentibus est scriptura, hoc idiotis præstat pictura.* Et vulgo imagines laicorum Biblia appellantur. 2. Ad Recordationem historiarum sacrarum, quas antea vel legimus vel vidimus: quemadmodum Cyrillus lib. 6. in Julian. de ligno crucis scribit, quod nos ad recordationem omnis virtutis inducat, & Cassander in Consult. cap. 21, haberi picturas scribit, non ut colerentur, sed ut per eas imperiti rerum gestarum admonerentur, quod dictum laudat Mosanus in vindicijs pag. 36. 3. Ad Testificationem nostri amoris erga Deum & Sanctos, sicut Eusebius lib. 7. Histor. Eccles. cap. 14 scribit: Insignia veterum reservari ad posterorum memoriam, quod illorum honoris, horum verò amoris inditium est. 4. Ad Compunctionem, cum legnius irritent animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. Vide Gregorium Magnum lib. 7. Epist. 35. Gregor. Nyssenum in Theodor. Martyr. Augustinum de visitandis infirmis lib. 2. cap. 3. 5. Ad imitationem virtutum, de quo usu vide Basilium in homil. 40. martyrum. 6. Ad ornatum templi, quem quia nemo negare potest, nemo etiam templis invidere debet.

Multa habent, quæ hic obijciunt iconoclastæ. *Primum Argumenta* in genere negant, imagines bonum habere finem: Nam quod *Adversariarū bonum habet finem*, inquit, *à Christo & Apostolis est ordinatum, contra usum divino cultu afficitur, Deo placet, & necessarium est, ut Mosanus lo-* *imaginum in* quitur in *vindicijs. pag. 374. At quam dilutum hoc est! Nam templis.* multa non sunt à Deo vel Apostolis ordinata, multa non coluntur, multa Deo placent, quæ tamen bonum habent finem, nec necessaria sunt. Quo in genere in primis Exempli loco esse possunt ritus Ecclesiastici, qui pro varietate Ecclesiarum variant ex hominum instituto, quorum catalogum benè longum recenset Augustinus Epistol. iij. ad Januarium cap. 17. In genere autem de ijs quæ in Ecclesia divinitus mandata non sunt, talem habet regulam cap. 18, quam vocat saluberrimam, ut, *quæ non sunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunq; institui videmus, vel instituta dognosimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.*

Deinde in specie contra usum imaginum à nobis allatos disputant. Primum negant imagines ad institutionem infirmorum prodesse, nam institutionem solùm fieri per verbum, unde *& imagines laicorum Biblia malè vocari, quia sacra Biblia necessario sunt retinenda, & nihil aliud sunt, quam scriptura Prophetica & Apostolica complectens Legem & Evangelium &c. quæ de imaginibus dici nec possunt, nec debent.* Respon. Facile concedimus, quod verbum sit ordinarium medium nostræ institutionis in rebus divinis. Neque ita partimur institutionem divinam, quæ apud eruditos quidem per verbum; apud laicos autem & idiotas per imagines fieri debeat. Sed in defectu vel ipsius verbi, vel organorum, quibus percipitur verbum, imagines suum usum in informando habere dicimus, quia ea quodammodo repræsentant, quæ in verbo clarius proponuntur. Quò pertinet illud Amandi Polami in cap. 4. Ezech. p. 129. *Magis moveamur, si verbo adjuncti sunt typi, figure, imagines, pictura, symbola, signa, quam si nuda & simplicia sunt verba.*

*Imagines quo-
modo laico-
rum Biblia.*

Hoc etiam sensu Laicorum Biblia vel potius liber laico-
rum appellantur imagines, non quod vel nova sint Biblia, vel quod
eandem cum Scriptura Prophetica & Apostolica auctoritatem
habeant, sed tantum, quia quaedam quodammodo sunt infirmo-
rum, dum historiarum Biblicarum nos admonent, non secus
atque Antonius olim opera creationis, seu totum hunc mun-
dum visibilem, Librum suum nominavit, ex quo Deum crea-
torem omnium quodammodo agnoscere didicit. Quo sensu
etiam Martinus Bucerus olim scribere non dubitavit; *Imagines sa-
lutariter admonere suo modo ad institutionem sanctam, licet non tam ef-
ficaciter quam verbum*: Vide ejus Metaphrasin & Enarrat. in cap. 1.
ad Roman.

LIV.

Deinde imagines imbecillitati memoriae inservire negant,
*quia Deus, cui soli firmitas memoriae nostrae sit notissima, sacra Biblia de-
dit unicum adminiculum memoriae.* Respon. De unico adminicu-
lo memoriae nihil habet scriptura. Sacra Biblia etiam hanc ad-
rem non sufficiunt legere non valentibus. Deus autem vult, ut
verbum alibi auditum domi repetatur, memoriaeque fideliter
mandetur Deut. 6, 6, quod sive per scriptos characteres, sive per
picturas fiat, perinde est: neque ullam indicare rationem pos-
sunt iconoclastae, cur hoc per picturas fieri non debeat, apud
eos praesertim, qui sacra Biblia nec ad manum semper habere, nec
eis uti possunt.

LV.

Præterea, imagines templa ornare negant: *Optimum
enim ornamentum esse dicunt auditum verbi, rectum usum Sacramen-
torum, verum Dei cultum, concordiam & amorem Ecclesiae*; quam ad-
rem allegant verba quaedam ex Apologia Augustanae Confessionis:
*Candela, vasa aurea & similes ornatus decent, sed non sunt proprius or-
natus Ecclesiae.* Respon. Hæc omnia vera sunt de ornatu Eccle-
siae cujus ut ex parte nota, ita ornatus præcipuus est, verbum ritè
prædicatum, & Sacramentorum legitimus usus cum honesta di-
sciplina. Non autem tollunt ornatum templorum externum, qui
consistit in ritibus decentibus, & historiarum Biblicarum pictu-
ris.

709.
ris. Nam & Deus optimum ornatum populi sui judicabat esse cultum sincerum cum vero obsequio, & tamen templum suum picturis ornari jussit. Nihil igitur contra imaginum usum in templis Adversariorum machinæ invalere.

LVI.

Sequitur, ut de remotione imaginum è templis agamus. *Quæ & quo-*
Nam omnes promiscuè non ferendas esse censemus. Sunt 1. modo imagi-
Ethnicæ imagines Jovis Olympij, Veneris, Mercurij, Dianæ, *nes è templis*
similium, quæ plus scandali quam ornamenti habent. 2. Sunt *sint removen-*
leves & impudicæ lasciviam hominum corruptorum proritan-
tes. 3. Sunt superstitiosæ & ex Papistarum Legendis deprom-
ptæ, sæpenumero personarum aut rerum, quæ nunquam exti-
terunt uspiam, ut picturæ de Francisco, Jacobo, magno Chri-
stophoro, Georgio, Barbara, Catharina & similes. 4. Sunt ima-
gines ad cultum erectæ in templis, aut vijs publicis. 5. Et deni-
que sunt, quæ quidem propter usum historicum aut ornamen-
tum Templi tantum erectæ sunt, à superstitiosis tamen homini-
bus religiosa veneratione actu coluntur.

LVII.

De his omnibus statuimus, quod ordine tollendæ sint, non tantum ex æde publica, sed & privatis. Nam quæcunque scandalosæ, lascivæ & actu ipso idololatricæ, nuspiam ferendæ: Nonnullæ etjam ne quidem nominandæ sunt, ut gentilium idola, juxta præceptum Domini Exod. 23, 13, & promissionem, Osee 2, 17. nisi forte vel ludibrii gratia earum fiat mentio, ut Dagonis, Baalis, Beelzebub 1. Samuel. 5, 3, 1. Reg. 18, 27. 2. Reg. 1, 3. vel etjam memoriæ causa una vel altera pictura adservetur, ut & posteris talis majorum superstitio persuadeatur, & Adversarij ad neganda talia faciles convincantur: quo pacto quondam Theophilus Episcopus Alexandrinus in destructione idolorum gentilium, unum publicè proponi & servari jussit, ne sequenti tempore pagani negarent, tales se adorasse Deos, ut est apud Socratem lib. 5. cap. 16, & in histor. Tripartita lib. 9, cap. 27.

LVIII.

In hac autem imaginum remotione non est initium faciendum à violenta demolitione, quæ fit manu, securi & bipenni,

D

sed



sed ordine procedendum; nam intempestiva demolitio magis
 sæpenumero nocet, quam statuarum erectio. Primum itaque
 non omnes imagines absque discrimine tollendæ sunt: habent
 enim multæ tantum usum historicum. 2. imagines, quæ olim
 ad cultum prostiterunt, hodie verò non amplius coluntur, non
 sunt necessario removendæ, quia nullum habemus in Nov. Te-
 stam. hujus rei præceptum; Praxis Apostolica hoc non docet;
 Nam Paulus Castoris & Pollucis imaginem reliquit in navi, quæ
 vehebatur, *Act. 28, 11.* aram etiam Atheniensium non destruxit,
 sed contra eam verba fecit *Act. 17, v. 23:* Scimus insuper quod i-
 dolum nihil sit in mundo *1. Corinth. 8, 4:* non enim externa mate-
 ria, sed opinio hominum idolum facit, quæ cessante, imago ipsa
 retineri vel removeri potest. 3. Imagines, quæ actu coluntur,
 removendæ sunt, quia non amplius imagines tantum, sed noto-
 ria sunt instrumenta idololatriæ. 4. Antequam idola tollantur,
 erudiatur populus pro concione, quidnam sit discriminis inter
 imagines & idola, de veris causis remotionis & similibus, exem-
 plo Prophetæ Samuelis *1. Samuel. 7, 2, 3, &c.* 5. remotio imagi-
 num non promiscuæ plebi committenda, sed magistratus à
 Theologis hac de re rectè informatus, negotium hoc disponere
 debet. Vide Lutherum *part. 1. cont. cælest. Prophet.*

LIX.

In his omnibus autem imprimis vitandum est scandalum
 infirmorum. Non enim magistratus pro lubitu imaginem
 hanc deturbare, aliam loco suo relinquere potest, sed quæ ex usu
 Ecclesiæ sint, imprimis fiant. Nam imaginum remotionem
 in templis inter res indifferentes ponimus, in quibus libertate
 Christiana quidem uti possumus, ita tamen, ne licentia nostra of-
 fendiculum fiat infirmis, monente Apostolo *1. Corinth. 8, 9.* Car-
 nibus vesci res indifferens est, & tamen Apostolus scribit: *Si esca-
 scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fra-
 trem meum scandalizem 1. Corinth. 8, 13.* Sic imagines è templis tol-
 lere, non simpliciter necessarium est, nec tamen quilibet hoc in
 genere facere debet, quod sibi videtur. Sed si scandalosæ sunt
 imagines, tollantur citra dubitationem; si verò de nullo peri-
 culo

culo scandali constat, & verò periculum est, ne remotio imaginum infirmiores turbet, minimè sunt tollendæ, ne offendatur frater infirmus.

LX.

Hæc est nostra de remotione imaginum è templis sententia: à qua multum discrepant iconoclastæ. Hi enim omnes simpliciter imagines Dei, Christi & Sanctorum è templis deturbant, etjam eas, quæ nunquam ad cultum propositæ, nec divino honore affectæ fuere, & hoc sæpenumero sine præcedente informatione populi, sine discrimine imaginis & idoli, sine discrimine magistratus & populi, idque sub specie necessitatis, ita ut pro idololatriæ & divinorum præceptorum inobedientibus habeant, qui hoc in genere ipsis non consentiunt. Et hoc argumentis obtinere contendunt, quæ audire & examinare operæ pretium erit.

*Adversariorum
sententia de
imaginibus è
templis remo-
vendis.*

LXI.

Principio mandata Domini de destruendis aris, confringendis statuis, succidendis lucis gentilium, de tollendis dijs alienis, de fugiendis idolis, & similia, magno numero accumulavit ex Exod. 34, 12. Deut. 7, 5. 12, 2. 1. Samuel. 7, 3. Ose. 2, 2. 1. Iohan. 5, 21 & c. Sed hæc omnia de tollendis & fugiendis idolis, non autem de demoliendis imaginibus, quæ nunquam idololatricum habuere usum, loquuntur. Ethnicis igitur ac Pontificijs ista loca obijciant, nostras imagines minimè attingunt.

LXII.

Si præcepta illa ad eas etjam imagines extendas, quæ olim usum habuere idololatricum, distinguendum est inter ea, quæ in istis præceptis sunt moralia, & quæ ceremonialia. Moralia sunt, non habere Deos alienos, nec colere statuas: idque omnibus omnino hominibus dictum est, vi primi præcepti. Ceremonialia sunt, etjam imaginem ad idololatricum cultum erectam demoliri, comburere, è medio tollere: & hæc ad pedagogiam populi Israëlitici pertinebant, qui cum naturam ad idololatriam pronus esset, & in vicinia gentium idololatricarum habitaret, ejusmodi instrumenta idololatriæ ex oculis remove voluit Dominus.

D. 2

LXIII.



Ad nos verò hæc non pertinent: idcirco in Nov. Testam. expressum hac de re mandatum non habemus. Christus quoque imagines & altaria, licet à Pharisæis satis deformata in templo Hierosolymitano, in quo docuit, reliquit Matth. 21, & Paulus aram in templo Atheniensi Act. 17, quo exemplo *Theodoretus* in re simili usus est *lib. 10. Histor. Tripart. cap. 30.* Quod si ad hanc pædagogiam Israelitici pöpuli simpliciter essemus astricti, ipsa quoque templa diruenda forent, in quibus olim Papisicæ abominations fuerunt. Nam Israelitis injunctum fuit, non modo statuas & aras idololatricas extirpare, sed & omnia loca subvertere, in quibus gentes coluere Deos suos *Deut. 12, 2,* quod & factum est, *2. Reg. 10, 27, 2. Paral. 23, 17.* Hoc verò *Calvinus* ipse inconueniens esse docuit, qui de præceptis istis planè nostro sensu iudicavit *Commentar. in Pentateuch. fol. 286,* ubi præcepta illa, *temporalia* Judæorum *Exercitia* vocavit, & demolitionem eorum, quæ ad fovendam superstitionem spectant, rem medicam, in qua nos non nimium rigorosos esse, expediat.

Concludimus igitur, Judæos multa, vi præcepti divini, necessariò fecisse, quæ in Nov. Testam. non amplius sunt necessaria, sed indifferentia. Sicut Paulus interdum circumcissione alijsque Leviticis ritibus (quibus Judæi olim necessariò obstricti erant) utebatur, interdum quoque eos omittebat, ut ex *Act. 16 & 21, & Galat. 2.* constat. Sic & statuarum demolitio Judæis olim erat necessaria, ob causam prius indicatam, hodie verò nos necessitatis lege non obligat: & qui hoc in genere necessitatem aliquam urgent, ut iconoclastæ faciunt, in præcipuum usum libertatis Christianæ impingunt, qui in eo consistit, quod conscientia nostræ à iugo illius servitutis liberatæ sunt, quo res indifferentes, tanquam necessariae obtruduntur.

Deinde dicunt, Deum imaginem suam, aut sanctorum Patriarcharum in templo suo non tolerasse. Sed neque in templis nostris tales poni uspiam prohibuit: in suo autem templo Hierosolymitano alias imagines fieri ipse curavit, de quibus supra.

Neque

Neque verò singulari præcepto de ponendis in templis nostris imaginibus indigemus, cum rem istam non ut necessariam urgeamus, sed liberæ observationis esse, dicamus.

LXVI.

Tertio, negant imagines in templis facere ad memoriam divinorum beneficiorum: Neq; ullum hominem sibi ipsi hujusmodi memoriale facere debere ajunt; Dei solius hoc opus esse, qui operum suorum memoriam fecerit in verbo & sacramentis. Verùm distinguendum hic est, inter memorialia divinitus sancita, qualia sunt, verbum & Sacramenta, & inter alia adminicula memoriæ, ab homine facta: Illa ad cultum divinum pertinent, hæc non item. Illa divinitus præcepta, hæc quidem non præcepta, neque tamen etjam prohibita, sed divinitus præceptis subordinata. Hujusmodi memorialia erant, serpens æneus, quo, quam diu non colebatur, in memoriam sibi revocavit populus Dei beneficia in deserto exhibita. Num. 21. item ara Rubenitarum *Ios. 22, 26.* lapides & statua testimoniales Jacobi Patriarchæ, Josuæ, Samuelis *Genes. 28, 20, 31, 51, Ios. 4, 20, 24, 26, 27. 1. Sam. 7, 12.* item unguentum illud pretiosum Mariæ Magdalena, quod Christus ipse in memoriam sepulturæ suæ super caput suum effusum fuisse dicit *Matth. 26, 12.* Hæc omnia a Deo neque sancita fuerunt, & tamen ipsi grata. Nihil igitur obstat quin ad hæc exempla imagines in templis in memoriam historiarum sacrarum erigere liceat.

LXVII.

Quarto, imagines in Templis periculosas esse scribunt, ac propterea tollendas. Etsi enim a nobis non adorantur, posse tamen hoc fieri ab alijs, fortè peregrinis transeuntibus & templis nostris visentibus; posse etjam sublequentibus temporibus fortè a nonnullis adorari, & hodieque similes imagines coli in Papatu, & quæ sunt hujus generis alia, vix responsione digna. Nam periculum cultus præcavere potest fidelis doctorum Ecclesiæ informatio. Fuerunt, qui solem, lunam, omnemque exercitum cælorum, quin & ignem & animalia quædam adorarunt quondam, nec tamen propterea hæc omnia è medio tollenda sunt, quia fortè imposterum aliqui eadem superstitione imbuti esse



ci esse possint : Nam abusus rei non tollit rem ipsam. Peregrini, si superstitione ista laborant, non ex imaginibus demum nostris objectum adorationis nanciscuntur, sed pravam illam opinionem in corde suo circumferunt, & remotis et jam omnibus imaginibus fovent, sicut reliqui hujusmodi opinione idololatriæ non imbuti, imagines nihil curant. Plura de hoc iconoclastarum argumento vide in scripto germanico Theolog. Wittebergensium, *abfertigung der Ambergischen anleitung* / pag. 16. seqq. LXVIII.

Quintò addunt imagines etiam esse scandalosas, quia super illis plus quam super præceptis divinis decertemus, easque pro rebus necessarijs habeamus. Sed hæc meræ sunt calumniæ, quibus Mosanus se delectat pag. 390. Nemo enim nostrum imagines in templis præceptis divinis anteponit, nemo eas necessarias putat; non tam pro imaginibus, quam pro libertate Christiana certamus, ne videlicet intempestivæ earum demolitioni consentientes jugo servitutis Carlstadianæ nos nostrasque Ecclesias subijciamus.

LXIX.

Sextò, loca quædam ex Luthero truncatim citata & malè detorta afferunt, quibus suam imaginum demolitionem palliant. Sed quæ sit Lutheri hac de re sententia, ex ijs, quæ contra Carlstadium scripsit, ex Comment. in cap. 1. Mich. & in Deuteronomio cap. 7. alijsque locis, satis superque notum est. In allegatis ab Adversarijs locis vel de legitima idolorum destructione agitur, vel de opinione cultus in erigendis statuis, vel de fiducia, quæ in hoc opere ponitur: quo nomine imaginum erectionem prohibet. Summa abusum imaginum, quacunque ratione fiat, reprehendit, ipsas autem imagines contra spiritum Carlstadium graviter defendit, ut in *libello de imaginib. contra Mosanum* c. 24, prolixè ostendi.

LXX.

Septimò Luthero adjungunt alios Theologos, qui in demolitionem imaginum consentiunt. Sed & nos consentimus, modo omnia hoc in genere ordine ac decenter fiant; Non omnes promiscuè, etiam illæ, quæ historicum tantum habent usum, tollantur,

715
lantur, nec zelo præpostero, nec sine informatione simplicium,
nec necessitate, nec opinione cultus aut meriti: Quod si secus fi-
at, nos nullius hominis autoritate conscientijs nostris jugum im-
poni permittimus in libertate, in qua vocavit nos Dominus. Plu-
ra vide in libello meo cap. 25.

LXXI.

Octavo prætendunt damnum, expectandum ijs, qui ima-
gines in templis retinent; quorum primum est inflicto pœna-
rum divinarum, quia Deus statim addidit præcepto de non faci-
endis sculptilibus comminationem, se visiturum iniquita-
tem patrum in filijs &c. *Exod. 20.* Sed quemadmodum præceptum
illud non simpliciter *εικονοποιαν* sed *εικονολατρίαν* concernit, ita
& adjecta comminatio: alias quicunque vel mente sua imagi-
nem alicujus historiae Biblicae conciperent, iræ ac comminati-
oni divinæ subjacerent. Israëlitas ob erecta idola graviter puni-
tos fuisse legimus *Exod. 32*, sed nemo unquam ideo, quod histo-
riam aliquam Biblicam pingi curavit, punitus fuit. Viderint au-
tem iconoclastæ, ne ipsi ob turbas, quas dant in Ecclesia, & ob ser-
vitutem illam, quam conscientijs fidelium obtrudunt, pœnas
dent justissimas, quod triste fatum Imperatorum, Philippici,
Leonis Istriaci, Constantini Copronymi, & similium iconoclasta-
rum testatur.

LXXII.

Alterum damnum esse dicunt profusionem sumptuum in
statuendis imaginibus, quos satius esse putant in pauperes con-
ferre. Verum pauperum habendam esse rationem nemo negat, &
immodicos illos sumptus sive in imagines, sive in ipsa templa col-
latos cum detrimento pauperum, aut etiam rei familiaris, omni-
nò improbamus. Est enim modus in rebus. Sed hæc dicant Ad-
versarij nostri suis hominibus, qui in ornandis ædibus privatis sæ-
pe satis sunt prodigi, domum autem domini parùm curant, pau-
perumque curâ hanc suam negligentiam excusant. Viderint i-
gitur, ne tangant ipsos minæ Dei *Hag. 1. 4.* Ornatus sanè templo-
rum non aufert omnem substantiam hominum, nec curam pau-
perum excludit, modò animus sit promptus, Deus ad utrumque
necessaria semper subministrat.

LXXIII.



LXXIII.

Deniq; imaginum usum in templis recentem esse dicunt. Etsi verò non negamus, ante Hieronymi tempora eas tam frequentes non fuisse, aliquas tamen fuisse, supra ex Tertulliano & Eusebio audivimus. Et quanquam Apostoli ipsi nullas erexerunt, erectas tamen etiam non dejecerunt, sed sicubi invenerunt, tanquam historica monumenta reliquerunt. Subsequentibus autem temporibus satis usitatae fuerunt, etiam in templis, ut supra ostendimus. Habuerunt autem in primitiva Ecclesia suas rationes, cur imagines in templo non collocarent, quia nimirum videbant Christianos ex gentilitate conversos etiam in imaginibus Deum colere, quam idolomania occasionem amputare voluerunt: Illa verò cessante imaginibus posterioribus temporibus æquiores facti sunt. Malè ergo concluditur à prisco illo ævo ad nostra tempora. Nam in eiusmodi adiaphoris pro temporum varietate multa variare possunt.

LXXIV.

*Imagines à
nobis non coluntur*

Destructis itaque Adversariorum fundamentis, relinquuntur imagines Dei, Christi & Sanctorum in templis nostris intemeratae, modò quam diligentissimè caveamus, ne quoquo modo vel cultum divinum, vel speciem aliquam cultus ipsis tribuamus. Hic verò iterum insurgunt contra nos iconoclastae, novoque crimine nos onerant, q. imaginibus nostris honorem atque reverentiam exhibeamus, dum ob ipsarum remotionem ingemiscimus, capita coram ipsis nudamus, ante statuas preces fundimus, genua flectimus &c.

LXXV.

Sed hæc omnia neque cultum aliquem, neque speciem cultus divini, quem imaginibus tribuamus, probant. Ingemiscunt aliqui, cum imagines dei ciuntur, non tam propter imagines & interitum ipsarum; quam quod libertatem Christianam jacturam pati, & Ecclesiam absque causa, sed non sine scandalo, turbari vident. Quinam sint apud nos, qui capita nudent, & genua flectant coram imaginibus, equidem ignoro. Longè melius instituti sunt nostri homines: Pontificiorum verò mores non defendimus. Si qui nostrum fortè ad altaria acceden-

tes,

717
es, genua flectunt, aut capita nudant, præsertim durante com-
munionem sacra, illi de præsentibus imaginibus forte ne quidem
cogitant, neque propter altaria vel imagines, sed propter Deum
& Sacrosanctam illam actionem, quæ religiosè semper & in omni-
bus tractanda est, hoc faciunt. Quod si species aliqua reveren-
tiæ vel cultus divini apparet in oculis adversariorum, ejus cul-
pam nos præstare non possumus. Nam in se species talis non est,
sed apparet saltem malè affectis; quemadmodum in oculis Pha-
risæorum scandalosa apparebat conversatio Christi cum pecca-
toribus ac publicanis, *Luc. 15.* sed hoc est contra caritatem Chri-
stianam, quæ non cogitat malum *1. Cor. 13, 5.*

LXXVI.

Quod in specie preces ante imagines vel statuas attinet,
phrasis ista ambigua est. Nam ante imagines vel statuas orare,
est, vel imagines ipsas objectum adorationis constituere, ita ut
preces ad imaginem aut prototypum ejus dirigantur. Vel est idem
ac coram imagine, aut in conspectu, seu præsentia imaginis aut
statuæ orare. Priori modo ante statuas aut imagines ora-
re prohibitum est, quia solus Deus objectum nostræ preceationis
est, & ita utitur hac phrasi scriptura *Levit. 26, 1.* Posteriori verò
modo prohibitum non est, quia præsentia alicujus imaginis aut
statuæ preces in spiritu & veritate fusas non impedit, æquè ac pa-
rietes & muri aut cælum ipsum inter precandum neminem im-
pediunt: Necessè enim est, ut precantes aliquò oculos con-
vertant. Sic Josua cum Senioribus Israelis ceciderunt in ter-
ram coram arca Domini & orarunt *Josu. 7, 6.* Hiskias coram pa-
riete orabat *Esai. 38, 2.* nec tamen vel ille arcam, vel hic parietem
adoravit. Christus ipse levatis in cælum oculis ingemiscebat
Mar. 7, 34. & orabat *Luc. 9, 16.* cum aliàs in lege prohibitum sit,
in cælum elevare oculos & aspicere solem, lunam & totum exer-
citus stellarum, ut adorentur *Deuteron. 4, 19.* Vanum igitur est
ἔγκλημα illud, quasi imaginibus divinos tribuamus honores,
quos quocunque modo fieri queant, sine Ethnica & Papistica
superstitione ac idolomania fieri non posse affirmamus, eoque
nomine quam longissimè à nobis remotos esse volumus.

E

LXXVII.



Altaria aure-
movenda e
templis.

Expedita jam essent omnia, quæ de imaginibus inter nos & iconoclastas hodiernos sunt controversa: Sed imaginibus etiam addunt altaria, quæ non minus ac illas è templis remotas esse cupiunt; quæ de re adhuc pauca restant. Primum igitur sciendum est, quod vocabulum *Ara*, seu *Altare* est in prædicamento τῶν θεῶν π, saumque respectum habet ad sacrificia. Ubi ergo nulla amplius sunt sacrificia, externa & propriè sic dicta; ibi quoque nulla sunt sic propriè dicta altaria. Unde sequitur, quod in nostris Ecclesijs altaria propriè sic dicta non habeamus, sed tantum mensas lapideas communioni sacræ destinatas.

LXXVIII.

Quod autem hæ mensæ lapideæ altaria vocantur, fit ideò, quia vocabula relata pro absolutis usurpantur, sicut apud Judæos nomen τῶν ἀρχιερέων ijs, qui eam dignitatem semel essent adepti, remansit, etiam post rem sublatam; ut *Casaubonus* ex *Josepho* annotavit *exerc. 13. ad annal. Baron. pag. 178. 2.* quia Christiani olim ad sacram illam mensam offerebant munera, quas ἀγῶνας vocabant, ut est apud *Theodoretum lib. 5. de hist. Eccles. cap. 18. 3.* quia antiquitus mensa illa, quæ Sacramentum cænæ Dominicæ administrabatur, altare appellabatur, ut est quod apud *Augustinum homil. 50. ex Quinquag.* His de causis nomen altare retinemus, quò etiam *Apolog. August. Confess. utitur in declarat. artic. 11.* Vocent alij mensam Domini ex *1. Corinth. 10, 21.* nos propterea nemini litem movebimus.

LXXXIX.

Hæc nostra altaria seu mensas lapideas removeri è templis, aliasque ligneas mensas substitui posse, non imus inficias, ut autem necessariò deturbentur, quasi magnum pietatis officium in eo situm sit, probare non possumus: quod tamen fieri oportere, ita ut nullum altare, quod olim in papatu ad sacrificium missæ usurpatum fuit, hodie in nostris templis salvâ pietate retineri queat, modis omnibus contendunt Adversarij nostri Calviniani, quorum Argumenta audire & examinare placet.

Primum dicunt : *altaria hec idololatræ missæ sacrificio prophanata esse, ergo tollenda.* Respon. Atqui abusus rei non tollit rem ipsam. Et jam templa ipsa prophanata sunt, & tamen non diruuntur : reditus Ecclesiastici in Papatu ad prophanos usus adhibiti fuerunt, & tamen hodie retinentur : altare templi Hierosolymitani à Pharisæis varie prophanatum erat, & tamen Sancti in eo munera sua offerebant *Luc. 2, 27. Matth. 5, 24. Actor. 21, 26.* nam mundis omnia sunt munda *Tit. 1, 15.* & omnes Dei creaturæ sive sint ligna, sive lapides, bonæ sunt : sanctificantur enim per preces & verbum *1. Tim. 4, 4.*

LXXXI.

Deinde dicunt, *altaria non pertinere ad cultum N. Testam. ubi sacrificia in morte Christi consummata sunt.* Respon. Verum hoc est, de altaribus propriè sic dictis : nostra verò altaria non nisi mensæ lapideæ sunt ad sacram communionem deputatæ, & ab usu N. Testam. non alienæ, ubi mensa Domini est necessaria *1. Corinth. 10, 21.* de materia nihil certi in mandatis habemus.

LXXXII

Tertiò, *nec Christum nec Apostolos, nec antiquiores patres altaribus fuisse usos, scribunt.* Respon. Quæ omnia de altaribus missaticis, seu in quibus sacrificatur, vera sunt. Interim mensas ligneas sacræ cœnæ destinatas altaria fuisse vocata, constat ex Athanasio, qui contra Arrium scribit : *Christus in sancto altari dat nobis manna corpus suum;* & ex Optato Milevitano qui lib. 6. cont. Parmen. scribit : *Quid est altare nisi sedes corporis & sanguinis CHRISTI;* item ex Augustino *homil. 50. ex Quinquag. tract. 26. in Iohann. Theophyl. super cap. 26. Matthæi.* Neque negant hoc Calviniani, ut videre licet præ cæteris apud *Wilhelmum Zepperum de Polit. Eccles. libr. 1. capit. 12.* Postea circa tempora Constantini Magni ex libertate Christiana mensæ lapideæ in templa fuerunt collocatæ, teste *Gersone lib. 4. cont. Floret.* Hinc deinceps semper in Ecclesia orthodoxa pro re indifferente fuit habitum, ligneas vel lapideas mensas in templis usurpare, quod Beza fatetur in *Colloq. Mompelg. pag. 424. & in Resp. 2. ad acta.*



Colloq. pag. 38. Qui sic igitur, quod hodie tanta cum virulentia altaria nostra impugnantur?

LXXIII.

Sed pergunt, & quarto loco mandatum Domini de diruendis aris gentilium urgent *Exod. 24, 13. Numer. 23, 52. Deuteron. 7, 5. 12, 5.* Respon. Hoc autem mandatum Judæos concernit, quibus non erat integrum quo vis in loco aras erigere, sed ibi tantum, ubi Dominus memoriale nominis sui constituit. Idcirco aras gentilium tollendæ erant, ne quis occasionem haberet tergiversandi. Hodie verò tempus illud venit, de quo Salvator *Iohan. 4, 21.* quando neque in monte certo, neque in Hierosolymis adorabitur Pater; cessante ergo causa mandati, ipsum cessare mandatum necesse est. Aliàs si Judæorum mandata ad Christianos etiam in Novo Testamento referenda simpliciter essent, etiam templa idololatrica diruenda forent, id enim Judæis etiam præceptum fuisse, supra audivimus ex *Deut. 12, 2.*

LXXIV.

Præterea, altaria dicunt esse vexilla Papatus, parere scandalum, superstitionem, & occasionem idolomanie, eoque nomine merito ex oculis hominum removenda. Respon. Sed hæc dicuntur saltem, probari autem non possunt. Quomodo enim altaria vexilla papatus appellari queant, cum Beza etiam fateatur in colloq. Mompelg. altaria in templis Christianorum usitata fuisse antequam abominatio Missarum in Papatu audiretur? nec verò omnia quæ in Papistico cultu usitata fuerant, vexilla Papatus appellari possunt: aliàs idem etiam de templis & suggestibus de ipsis etiam Biblijs bonam partem diceremus, quæ non minus ad abominaciones varias, imò etiam ad incantaciones adhibita fuere in papatu, ut de Evangelio S. Johannis constat Scandalum, aut superstitionis ac idolomanie occasionem altaria nostra dare nequeunt, cum nihil scandalosi aut superstitiosi in eo peragatur. Vasa templi aurea & argentea convivio suo polluebat Rex Belsazar cum optimatibus, uxoribus ac concubinis suis *Daniel. 5, 3.* nec tamen postea Cyrus in restauratione templi vasa illa disperdidit, sed in templum Domini reposuit,

posuit, ut ad sacros usus postea in templo secundo adhiberentur, non improbatante Domino *Esd. 1, 8.* Cur ergo altaria in Papatu olim prophanata absque superstitione aut scandalo hodie in templis nostris retinere non possemus?

LXXXV.

Viderint potius Iconoclastæ, quomodo vulnera infirmorum ex intempestiva imaginum & altarium demolitione inflicta sanent. Viderit quoque pius Magistratus, ne homines isti, qui culices excolant, & camelum glutunt, simpliciorum corda offendant impiâ doctrinâ, quâ Dei potentiam, misericordiam ac veritatem, carnis CHRISTI majestatem, meriti ejus universalitatem, verbi & Sacramentorum efficaciam, partim negant, partim in dubium vocant. Tollantur è medio inutiles illæ de rebus medijs contentiones, & non dicis saltem gratiâ, sed ex animi sententia quærantur quæ ad pacem sunt Jerusalem: propter imagines & altaria nostrorum templorum, nemo, quod confidimus, salutis suæ detrimentum patietur.

SOLI DEO GLORIA.





*I*tera quam Discreta meae imprimat icona menti;
Hanc Pictura ipsam dat mihi Continua.
Et quod Scripturae gnaris dat Litera Scripta;
Hoc ipsum rudibus Picta tabella refert.

* Propter u
productum
nemo nisi i-
gnarus rum-
pat suos ra-
mices.

Litera Diluvium mihi pingit *εὐ** *ἰσοτύπωση*:
Cur Pictura mihi nulla referret idem?

Ex Animo FRAUDIS foeda exturbetur Imago,
Et quaecunque notas Impietatis habet.

Tolle Rapinae, Irae, atq; Libidinis icona. Templis
Nil damni intulerit Diluvij effigies.

Et jam tempus adest, quando tolletur IMAGO
BESTIAE. Adest autor Filius ipse Dei.

Interea Mundis munda omnia: at omnia contra
Immundis. Ut Vas, sic Liquor esse solet.

In gratiam ornatiss: Dn. Respondentis
F.

M. ERASMUS SCHMIDT, Graec.
& Mathem: Prof: Witteb.

Præstantissimo, Humanissimo, Doctissimoq;
V I R O

Dn, M. PAULO SPERLINGIO,
Theologicè disputaturo.

Militiæ quicumque sequi vult agmina, laudem
Ut referat, nomen militis atque boni.
Non vigili solùm si spectet, sufficit, hostem
Lumine, fortis opus bellica pugna Viri.
Hac procul à patrijs propellet sedibus hostem,
Et sic pugnacis dux erit inde gregis,

Quem

Quem tandem sequitur magnâ cum laude triumphus
 Inter honoratos fama decusq; viros.
 Tu mihi *Sperlingi* forti feliciter ausu
 Te sanctæ socium militiæ esse probas.
 Non vigili multos te transegisse labores
 Nocte juvat, specimen nî quoq; jure feras.
 Idq; refers, bellum postquam indixere nefandum
Calvini miseris agmen imaginibus.
 Sacrata tolerare Deos in sede profanos,
 Auratas statuas cernere, grande nefas.
 Sint procul à nostris, ajunt, altaria templis,
 Quicquid & ornatâ splendet in æde, procul.
 Scilicet hæc proprios melius convertere in usus,
 Quàm nudis oculos pascere imaginibus.
 Si nummo incisâ facie resplendeat arca
 Illa placet, neq; enim est hanc tolerare nefas.
 Non est, crede, scelus rebus spoliassè sacratis
 Templum, nec furtû hoc, sed modò dulce lucrum.
 O quid non auri mortalia pectora cogis
 Sacra fames! Non est hoc scelus, hoc facinus?
 Affere, *SPERLINGI*, libertatesq; tuere
 Christiadam, & stolidæ supprime gentis opus,
 Quod sub *BALDUINO* conaris Præside, Sole
 O quanto, ô quanto Lumine Thejologon!
 Hoc est à patrijs propellere sedibus hostem,
 Et sic salvati dux eris inde gregis.
 Ne dubita, nam te post gloria magna sequetur,
 Inter honoratos fama decusq; viros.

*Honoris & amoris ergò Amico suo colendò
 Gratulabundus annecebat*

M. JOHANNES DÖLINGIUS,
 Pom. Facul. Philos. Adjunctus.



Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333





82

Reha

US 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

685.

X

ORDINARIA

NIBUS,

Libelli Germanici
quo vindicie cujusdam
Abrahami Sculteti icono-
fendere conatus est,
ntur.

ia VVitebergensi

AUTORE

ALDUINO D.

Superintendente.

ENTE

PERLINGIO

rali alumno.

DOMINI Spiritu
oris locoq; solitis.

RGÆ,

nanni, anno 1621.

